

P V I S

1 6 1 8





- I. Philastrii Catalogus Hæresium.
- II. D. Honorii de Hæresibus.
- III. D. Bugensæii distributio Methodica Historiæ passionis Christi.
- IV. D. Garzæi Tractatus Concionum Penitentiarum.
- V. D. Garzæi Delinatio Concionum Penitentiarum.
- VI. Basilii Magni Oratio ad Adolescentes.
- VII. Intimatio Jubilæi Evangelici.
- VIII. Theologorum Saxoniarum Epistola Invitatoria ad universos Theologos.
- IX. D. Bergii Præfatio Francofurtensis Disputationis Theologicæ.
- X. M. Sachsii Disquisitio adversus Meijnerum.
- XI. Montani Virga in Bæmiam et Ungaricum.
- XII. D. Pelargi Responsum ad Epistolam Schlusenburgii et Cramerii.
- XIII. D. Pelargi Responsoria ad Apostolica duo brevvia Schlusenburgii et Cramerii.
- XIV. Godefridi Disputatio de Abstracto et Concreto.
- XV. Pelargi Disputatio de Assumptione Christi.
- XVI. M. Wolgangi Theses de Justitia et Justificatione.
- XVII. D. Füsslii Disputatio de Deo.
- XVIII. M. Theopoldi Disputatio ex Dialocho Theodoret. Secundo.
- XIX. de Deo.
- XX. de Peccato.
- XXI. de tria in Conversione Homini Concurrentia.
- XXII. de Justificatione.
- XXIII. de Bonis Operibus.
- XXIV. de Ecclesia.

Maa 15.





25  
XXIV.  
PROPOSITIONES

# EX SEPTIMO

EXAMINIS THEOLOGICI  
MELANCHTHONIANI

loco, (qui est de Ecclesia) de promptæ,  
illustratæ, & ad piam ac placidam

συζητησιν propositæ,

SERVESTÆ,

*Præsides*

M. JOHANNES THEOPOLDO,

ILLUSTRIS GYMNASII THEOLOGICI

Professore &Inspectore,

*Respondente*

FRIDERICO THEODORO GOR-

licio-Lusato, S. S. Th. Studioso,

*d. XX. Maji h. VIII. matutinâ &c.*

*Anno χριστογονίας 1614.*

---

SERVESTÆ,

Typis Zachariæ Dörfferi, ANNO

CHRISTI, M. DC. XIV.





NOBILITATE GENERIS,  
VIRTUTE, PRUDENTIA, AUTHO-  
RITATE, DIGNITATE Q.

Amplissimis Spectatissimisq; viris, Cofs : Præ-  
tori, Scabinis, cæterisq; Senatorib. inclytæ Reipub.  
Gorlic. patronis, Meccœnatib. & fautorib. suis  
æternùm honorandis  
S. P. D.



*X* animo lator, patroni honorandi, tandem oblatam  
mibi occasionem, vestrorum beneficiorum in me & Erro-  
meos multorum annorum serie collatorum, aliquod grati a-  
nimi monumentum ad pulvinaria vestra deponendi. Optã-  
rim autem, quàm me vobis, & publico & privato nomine  
plurimum debere agnosco: tam mihi facultas unquam sit, exemplis eorum,  
qui gratitudinem suam factis ad omnem ætatem immortalibus declara-  
runt, εὐχαριστῶν εὐχαριστῶν retribuendi. Verùm, quia hoc ne sperare quidem,  
nedum polliceri mea me finit tenuitas: ipsum Deum, patrem luminum, à  
quo donum omne bonum & perfectum proficiscitur, supplex veneror, ut be-  
nignitatē erga nos vestram benedictione suā in consiliis, successuum felicita-  
te in actionibus vestris, vitæ diuturnitate, tranquillâ gubernatione, sana-  
tione vulneris, quod superiori semestri obitu tantorum luminum Reip: in-  
flixit, omniumq; affluentia rerum retribuatur atq; remuneret. Interim vo-  
bis, patres patriæ, chartaceam hanc, animo reclusa gratitudinis, aram e-  
rigere volui, debui: humilime petens, ut, quemadmodum Artaxerxes Per-  
sarum Rex, inter eundem etiam operarii cujusdam sibi occurrentis, aquam  
è profluenti haustam, & ambab. manib. honorarii loco, (cùm nihil aliud ha-  
beret) oblatam, libenter admodam suscepit: sic vos quoq; vile hoc & leviden-  
se quiddam, grato tamen animo memoriq; profectum, benigno vultu susci-  
piatis, meq; & in posterum benevol. vestra pupillâ respiciatis. Benè Valet  
Geγύεται submissè honorandi. Serveste, ex μελετητηγία meo, d. 7. Maji, an-  
ni, VenI DoMIne IesV ChrIste.

Jacob. 1. 5. 17.

V. Amplitud:

Subiectis:

Respondens.





PROPOSITIONES EX LOCO  
de Ecclesia.

THESIS I.

**C**ùm præcedenti loco dictum sit, bona opera esse tantùm ea, quæ secundum normam decalogi, rectè intellecti, fiant, quæque ex vera fide promanent, & ad solius Dei gloriam referantur: quæritur, ubinam inveniantur homines, qui eiusmodi opera præstent? Et respondetur: In Ecclesiâ Dei. Ideoque iusta & concinnâ methodo locum de bonis operibus excipit locus de Ecclesiâ.

II.

Vocabulum: *Ἐκκλησία* est ὑπὸ τῆς *ἐκκαλεῖν*, vel ab antiquo *καλεῖν*, & significat, apud Ethnicos scriptores, cætum evocativum, seu cætum voce præconis domo evocatum, ut certo loco conveniat.

III.

Inde igitur desumptum nomen Ecclesiæ transferri cæpit ad designandum cætum, sive verè, sive fictitiè seu falsò religiosum: cùm in Scriptura fiat mentio etiam Ecclesiæ malignantium, & Synagogæ Sathanæ, Ps. 26. v. 6. Apoc. 2. v. 9. nec ignotum sit illud Tertulliani lib. 4. adversus Marcionem: Faciunt favos & vespræ: faciunt Ecclesias & Marcionitæ.

IV.

Porro, Ecclesiæ nomen in bonâ acceptum partem, diversimodè usurpatur, videlicet, vel universaliter, vel particulariter, sive, pro Ecclesiâ universali vel particulari.



V.

Universalis five catholica Ecclesia est universa omnium Electorum multitudo, qui inde ab initio mundi fuerunt, sunt, & ad finem usq; mundi erunt.

VI.

Hæc distinguitur in militantem & triumphantem.

VII.

Triumphans Ecclesia dicitur, quæ ab omnibus vitæ hujus caducæ malis, incommodis, insultibus peccati, mundi & Diaboli, liberata, in cœlis cum suo Duce, Capite & Salvatore IESU CHRISTO triumphat, & triumphabit, æternâq; quiete & gaudio perpetuo fruitur ac fruetur.

VIII.

Militantis Ecclesiæ appellatione denotamus cætum credentium, qui adhuc in terris versantes, cum peccato, mundo, & Diabolo decertant, plurimisq; periculis & calamitatibus expositi sunt: Retinentes autem fidem & bonam conscientiam, in castris Filii Dei manent, & contra omnes ejus hostes fortiter pugnando vincunt: in quâ victoriâ ad finem usq; vitæ perseverantes, tandem cum illo læti triumphabunt.

IX.

Hæc cum admixtos habeat hypocritas, distingui solet in invisibilem & visibilem.

X.

Id quod accipiendum, non de speciebus Ecclesiæ inter se differentibus: sed de uno & eodem cætu, diversâ ratione.

XI.

Dicitur enim invisibilis, ut est in oculis solius Dei, propter electionem & fidem in corde, cuius nemo arbiter est, præter Deum *καρδιογνώστην*.

XII.

Dicitur visibilis, ut est aspectabilis hominibus, propter



propter signa in oculos & sensus hominum incurrentia.

XIII.

Est igitur Ecclesia visibilis in hac vita, cætus visibilis amplectentium incorruptam verbi divini doctrinam, rectè utentium Sacramentis, & ministerio debitam præstantium obedientiam, secundum normam verbi: in quo cætu Deus est efficax, & voce Euangelii, & Spiritu Sancto, multos regenerat ad vitam æternam: Sunt tamen in eodem cætu multi non sancti, sed tamen de doctrinâ, quo ad externam professionem, consentientes.

XIV.

Visibilem hunc cætum monstrant externa signa hæc tria, jam dicta, videlicet,

1. Professio doctrinæ verbi divini incorruptæ.
2. Legitimus Sacramentorum usus.
3. Exercitium atque studium sanctæ vitæ seu disciplinæ ecclesiasticæ, hoc est, obedientia ministerio debita, secundum Euangelium.

XV.

Singulos servandos oportet fieri cives veræ Ecclesiæ, & cum eâ conjunctos esse, fide, confessione, invocatione, & voluntate servandæ Ecclesiæ, seu conjunctionis in Ecclesia.

XVI.

Ad Ecclesiæ verò unitatem nequaquam est necessaria similitudo ceremoniarum, humanâ authoritate traditarum: Sed tantum requiritur consensus in his tribus: in doctrina (inquam) fundamenti, in legitimo sacramentorum usu, & in observatione disciplinæ ecclesiasticæ, judiciisq; rerum, ad Euangelii ministerium propriè pertinentium.

XVII.

Ministris enim Ecclesiæ debetur obedientia in iis, quæ propriè ad eorum ministerium pertinent.



XVIII.

Nequaquam autem habent ministri Ecclesiae potestatem condendi nova dogmata, sive novos cultus, aut arrogandi sibi potestatem seu regnum politicum:

XIX.

Judicii norma in Ecclesia debet esse verbum Dei, rite intellectum. Verbum siquidem Dei, stolidè intellectum, non est verbum Dei.

XX.

Ecclesia in controversiis juvari quidem potest piorum antecessorum confessione. Quando autem agnoscimus, nos convinci verbo Dei, obtemperemus judiciis Ecclesiae, propter verbum Dei, non propter gradum sive auctoritatem judicum, aut antecessorum.

XXI.

In judiciis doctrinae in Ecclesia, pii se nequaquam (facta quasi conspiratione) obligent, antè rectè cognitam & pronunciatam seu latam sententiam: quia possunt errare homines etiam magni nominis, & donis præclaris excellentes,

Ps. 62. v. 10.

Ἡ δόξα ἐν ὑψίστοις

BEA-





BEATIS MANIB.

VIRI AMPL.<sup>mi</sup> MELCHIORIS

STEIN BERGI PATRIS PATRIÆ, ET PER

ANN. XV. IV. VIRI FELIC.<sup>mi</sup>

ACERBO BONOR: LUCTU PUBLICE DE-

PLORATI GORLICII XII. IAN. AN. CL. LXX. XIV.

*Tutoris sui optimè meriti,*

*Κυριαδείας καὶ Σχολείας ἕνεκα,*

SERVESTÆ

d. 18. Jan. styl. vet.

D. D. D.

**N**uncijs in clamat, (STEINBERGIV Soccidit!) aures:

*Pænè ego me surdis auribus esse velim!*

Omne tulit punctum feralè, quod abstulit unum

*Vnus, STEINBERGV M, qui omnia vivus erat.*

*Occidit, heu! patria lumen, columenq; decusq;*

*Nestore publica res, patria patre caret.*

*SOL patria occubuit: meritò Respublica dici,*

*Extincto tanto lumine, lusca potest!*

*Flete pii cives: veri & date signa doloris:*

*Plangite Rectorem Curia, templa, schola!*

*Ipsè pater Nilivus patria miseratus acerba*

*Fata, suis lacrymis rura propinqua rigat.*

*Fleu, quòd non vixti tot, eras quot vivere dignus*

*Annos! Nestoreos vivere dignus eras.*

*Sed benè habet! vivis tot, eras quot vivere dignus:*

*Scilicet a ternos vivere dignus eras.*

Respondens.








Jh 4245




X 22MA38

VD 17 AC









B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

25

IONES

**TIMO**

HEOLOGIC

THONIANI

(fia) de promptæ,

ac placidam

osita,

Æ,

HEOPOLDO,

THEOLOGICO

pectore,

ODORO GOR-

h. Studioso,

*matutinà &c.*

1614.

E,

fferi, ANNO

C. XIV.

